



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm  
Tomvs ...**

**Łęczycki, Mikołaj**

**Antverpiae, 1650**

Sexta causa permissio Dei, occultantis magna sua dona in seruis suis,  
velata aliquibus defectibus. Cap. VII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

quam temerè iudicatus ius habebat, quia is nõ habet maius ius ad æstimationem quæ est in vno, quam ad eandem quæ est in alio. Ergo qui eam in se tollit iudicando temerè alium, erga eum est iniustus; multò autem magis, si etiam exterius coram aliis eum condemnet, quia cõdemnando eum infamat, quod si contingat cum plenâ rationis aduertentia sine probabilitibus iudicis talis iudicij formandi, & in re obquam persona sic iudicata notabile detrimentum suæ æstimationis patiarur, tunc certò admittitur mortale peccatum.

91. Meritò ergo Deus Pater S. Catharinæ loco citato dixit; Ex iudicij ortu peccata varia contra iustitiam. Ex talibus iudicij, inquit, frequentissimè generantur odia, homicidia, detractiones, displicentia contra proximum. Post hæc sequuntur solia, videlicet verba contra reuerentiam, immò potius in vituperium & iniuriam contra me ac in detrimentum proximi.

92. Denique hoc certum est, iudicia huiusmodi vt ait S. Thomas 2. 2. q. 60. a. 3. ex cordis malitiâ nasci. Malus, inquit S. Nazianzenus or. 21. de laudibus S. Athanasij, celerrimè adducitur, vt bonum etiam virum condemnet: contra vir probus, ne malum quidem faciliè condemnerit. Qui enim ad vitium minimè procliuus est, is nec faciliè ad malè de alio suspicandum mouetur. Et vt idem ait or. 8. Non faciliè de alio malum suspicatur, qui non faciliè ad malum impellitur. Et Abbas Chæremone apud Cassianum Coll. 11. c. 10. ait: Isdem vitii Monachum subiacere certissimum est, quæ in alio inclementi atque inhumanâ seueritate condemnat. S. Nilus in paren. 11. 39. Attendamus nobis ipsis & alios non reprehendemus. Et c. 40. Multa enim in nobis sunt, propter quæ alios taxamus. Verum dicit: quia vt plurimum imperfecti indicant temerè alios, perfecti verò exculant omnia quæ vitium licet. Quem admodum columna, inquit S. Chrysostomus hom. 38. in templo si steterit recta, accepto pondere amplius confirmatur, si autem modicè obliqua fuerit, suscepto pondere, non solum non confirmatur, sed amplius vadit ad latum; sic & cor hominis, si rectum fuerit, videns opera alicuius viri iusti, aut audiens per doctrinam sapientia eius amplius confirmatur; si autem fuerit peruersum cor, videns opera alicuius viri iusti, aut audiens, non solum non confirmatur, sed magis ad inuidiam excitatur, & magis peruertitur. Ita internus malus hominis Status, inducit ad malè de aliis iudicandum. Explicat hoc pulchra similitudine S. Dorotheus doct. 16. Contingere, inquit, solet, vt aliquis nocte consistat in aliquo loco seu angulo ciuitatis, non dico monachum, sed quemlibet alium de ciuitate, accidet vt iuxta illum pertranscant viri tres, & vnus quidem ex illis arbitrat eum prostolari socium aliquem, vt vnâ simul eant ad fornicandum: aliter autem latronem seu furem eum esse suspicatur: tertius verò existimat eum vocasse è vicina domo amicum suum, & expectare illum, vt vnâ simul eant ad gratulationem. Ecce hi tres viri eundem hominem, eodem

in loco videntur: & tamen non eandem opinionem de eo habuerunt, neque eandem cogitationem cogitarunt, sed aliud quidem primum; aliud secundum; aliud verò tertium mente de eodem conceperunt: quisq; mirum pro animi sui statu, & mentis dispositione arbitratus est. Omnes mores pessimi, inquit S. Ambrosius libr. de Noë & Arca cap. 30. erroribus delibantur alienis, non solum erroribus, sed etiam iis, quæ ipsis videntur mala esse etiam si non sint.

S. Dorotheus doct. 16. Sic, inquit, corpora mali humoris quidquid cibi sumpsit, quodammodo perimunt, licet fuerit cibus optimus, nec à cibo causa, sed à corpore quod distemperatum, contraria ad digestionem operatur, & ciborum naturam immutat: sic anima malè disposita vnaquæq; res quamvis bona & vtilis, suo vitio nocet. Finge mellis vasculum ante nos positum esse, si quis in illud modicum quid abstulit iaciat, nonne vas totum corrumpit? & mel amarum facit: Idem nos facere videmus, cum pugillo amaritudinis nostræ, totum proximi bonum corrumpimus, indicantes illum pro statu mentis nostræ, & transformantes quodammodo ipsum ex mala dispositione qua in nobis est. Nam qui bene animo dispositi sunt, tales sunt erga omnes, quales qui corpus temperatissimum habent, qui quidquid nocens comederint, omne conuertunt in nutrimentum. Cuius rei ratio est, vt dixi, corporis temperamentum, sanitas, & bona habitudo, quæ omnia faciunt, vt quidquid comederint, bene vertant, bene digerant, bene concoquant. Hoc ipsum ferè multo antè Seneca lib. 5. de benef. scriptum reliquerat: Quomodo, inquit, stomachus morbo vitiat, & colligens bilem, quoscumque accipit cibos mutat, & omne alimentum in causam doloris trahit, ita animus cæcus quidquid illi commisserit, ad omnis suum & perniciem & occasionem miseria facit.

His malis cum sint obnoxia iudicia sinistra de aliis, merito B. Catharina Bononiensis, vii scribit in eius vita noster P. Iacobus Grassettus l. 1. c. 14. dicebat, duabus scelis Moniales infallibiliter posse perungere ad gloriam paradisi. Prima scala decem gradibus constans est virtutis: cuius septimus gradus est, Puritas mentis quam dicebat consistere peculiariter in sentiendo semper bonè de omnibus, & in interpretando semper in bonam partem quamlibet actionem proximorum, volendo ne quidem cogitatione maculare admisione ad eam fedæ cogitationis supra opera aliorum.

## CAPVT SEPTIMUM.

Sexta causa ob quam vitare debemus remeraria iudicia est

Ocultæ sed iusta Dei dispositio, qui nonnunquam magnas in seruis suis virtutes occultare volens, ne vel, ab eas possidente, per elationem animi perdantur, vel (si huius rei non sit pericula) ne ab inexpertis & pseudopoliticis, aut malignis dona Dei calumniam patiantur

patiantur, permittit in exiguis aliquos defectus labi seruos suos.

Talis erat vir ille Sanctus Isaac apud S. Gregorium lib. 3. Dial. c. 14. virtutibus, miraculis, & dono prophetiae praeditus, in quo nimia quaedam laetitia reprehensibilis videbatur. Quod S. Gregorius ponderans sic ait: Magna est omnipotentis Dei dispensatio. & plerumque contingit, ut quibus maiora bona praestant, quaedam inuicem non tribuant, ut semper eorum animus habeat, unde se reprehendat, quatenus dum appetunt perfecti esse, & non possunt. & laborant in hoc quod non acceperunt, nec tamen elaborando praualent, ne in his quae accepta habent, se minime extollant, sed discant, quia ex semetipsis maiora bona non habent, qui in semetipsis vincere parua vitia atque extrema non possunt. Quemadmodum Deus in elementis fecit, inquit S. Chryllostomus hom. 26. in 2. Cor. nempe ut & imbecilla ea & praecleara crearet, alterum, ut ipsius potentiam praedicarent, alterum, ut hominum errorem prohiberent, sic etiam Sancti & admirabiles & imbecilles erant, ut opere ipso ac rebus ipsis eorum imbecillitas desegere- tur. Elias est eximius vir erat, timiditatis tamen quaedamque notatus est. Et Moses item magnus, ac hic quoque ob eundem affectum fugam conuenit (Ex. 2. ille 3. Reg. 19.)

98. Alias huius rei causae est diuino lumine haustas in quodam raptu tradidit B. M. Magdalena de Pazzis teste Puccino Confessario in eius vitae 4. par. c. 3.

Non permittit, inquit, Deus interdum auferri amorem & sensum proprium ab aliquibus animabus, quamdiu viuunt, nisi ob id ea dispiciant, quia sunt impedimentum perfectionis. Ille enim qui est Sapiencia aeterna, videt sine hoc interesse amoris proprii & proprii sensus, multas animas non facturas illa bona opera qua faciunt: ideo illa non euellit nec exurpat: ne essent exequi bona opera ad edificationem proximorum, & augmentum S. Ecclesiae: sed tempore mesis quod erit in fine vitae illarum animarum nimirum amarum sui & proprii sensus (del proprio intendere) punientur. Quamuis multo tempore tolerat Deus zizania amoris proprii in illa anima, nullus tamen putet reponendam eam in horreo vitae aeterna cum semine optimo, nisi prius totum malum consumatur igne purgatorij. Similiter iste Sapiensissimus Deus permittit cum summa prouidentia, ut aliqua anima non cognoscat se habere hac zizania amoris proprii, quia scit, si illud cognoscerent, deuenirent ad talem detectionem animi (sb gottimento) ob quam nil boni facerent. Unde quam diu illud non cognoscunt, non possunt illud eradicare. & ita crescit in illis usque ad mortem simul cum bono semine. Sed his animabus in tempore mesis quod erit in morte, ostendet sibi in illis non placuisse hac zizania: quia quod non cognouerint, fuit defectus illarum, quia fecerunt se incapaces huius cognitionis, eo quod habuerint cor vile & pusillanime, ideo iudicio supremi Iudicis etiam ha mittentur ad flammam purgatorij.

99. Ex vita S. Ioannis Eleemosynarij cap. 46. Lancicij Opusc. Tom. 2.

fol. 201. Columna 2. apud Rosweydam.

Cum omnibus bonis suis, & hoc Beatus hic (scilicet Ioannes Eleemosynarius) possidebat, quod (ut dictum est) non condemnaret proximum, nec condemnantes reciperet. Dicam verò & eius doctrinam de hoc omnibus proficiam: Iuuenis quidam sapiens monacham fugit Constantinopolim. Hoc discens Iustus, tristis factus est usque ad mortem. Tempore verò aliquo transacto, confedente eo vna dierum in honorabili cimiterio cum quibusdam clericis & sermonem animae vtilem mouente, venit in medium & memoria iuuenis, qui ancillam Dei rapuerat, & ceperunt, qui Sancto confidebant, anathematizare talem iuuenem, tanquam qui duas animas perdidit, suam videlicet & sanctimonialis. Compescuit ergo & rescauit eos Beatus, dicens: Ne sic filij, ne sic: nam ostendam vobis, quia & vos duo peccata facitis, vnum: quia transgredimini mandatum dicentis: Nolite iudicare, ut non iudicemini: deinde, quia nescitis certius, si vsque hodie peccent, & non poeniteant.

Legi enim vitam patris, aliquid tale habentem: quia in ciuitate quadam duo monachi abierunt in ministerium. Et cum transiret vnus per locum, clamabat ei vna fornicaria, dicens: Salua me pater, ut Christus meretricem. Ille verò hominum confusionem omnino non curans, dixit ei: Sequere me. Et tenens eam per manum eius, exiit publice de ciuitate, omnibus aspicientibus. Facta est ergo fama, quia Abbas accepit mulierem Domnam Porphyriam (ita enim vocabatur mulier). Pergentibus ergo eis, ut mitteret eam in monasterium, inuenit mulier in vna Ecclesia puerum in terram proiectum, & suscitit eum ut nutrirer illum. Itaque post annum quidam venerunt in patriam, vbi erat Abbas & Porphyria, qua fuerat de meretricibus: & videntes eam habere puerulum, dicunt ei: Veraciter bonum Abbati pullum genuisti. Nondum enim sanctum schema acceperat. Euntes ergo Tyrum qui viderant eam, (inde enim Abbas tulerat illum), diffamauerunt, quia genuit de Abbate Porphyria. & nos vidimus puerulum oculis nostris simulantem ei. Quando ergo cognouit ex Deo Abbas obitum suum, dicit nonna Pelagia: sic enim mutauit nomen eius, quando tradidit ei sanctum schema: Eamus Tyrum, quia habeo illi responsum, & volo ut venias mecum. Illa verò non valens contradicere ei, secuta est eum: & venerunt ambo, habentes & puerulum septem annorum existentem. Cum ergo egrotasset Abbas in infirmitate ad mortem, ascendit ad visitationem eius de ciuitate vsque ad centum animas. Et dicit: Asserte prunas. Itaque cum venisset thuribulum plenum prunis, tulit & euacuauit eas in vestimentum suum, & dixit: Credite fratres, quia sicut Deus rubum custodit incombustum ab igne, sicut nec tunicam hanc meam incendunt pruna ista: ita nec ego agnouit peccatum mulieris, ex quo natus sum. Et omnes mirati sunt, quomodo non ardebat vestimentum ab igne: & glorificauerunt Deum habentem occultos seruos. Ex occasione autem nonna Pelagia quondam meretricis, alia fornicaria secuta sunt eam, abrenunciantes mundo, cum ea pergentes in monasterium eius. Seruus enim Dei monachus,

99.

100.

H h h nachus,

nachus. qui totonderat eam, postquam satisfecit omnibus, tradidit Deo spiritum in pace. Idem inquit, dico vobis filij, ne precipites ad condemnanda & iudicanda sitis aliena. Multoties enim peccatum fornicationis vidimus: penitentiam verò eius, quam fecit occultè, non adspeximus. Et est, quia furtum facientem quemdam vidimus: suspiria verò & lacrymas quas produxit Deo, nescimus. Et nos quidem habemus eum, qualem vidimus illum, furem, aut fornicatorem, aut perurum: apud Deum verò recepta est occulta eius confessio & penitentia, & est ab ipso pretiosus. Omnes igitur admirabantur super doctrinam industrii pastoris huius atque magistri.

101. Cum S. Macedonius vir simplex, & qui nec diuini vacauerat eloquiis à Flauiano Episcopo ordinatus esset Episcopus, idque non aduertisset ipse, postquam id rescieuit, incessebat omnes maledictis & conuitiis, & accepto baculo quo ob senium innitebatur, ipsum persequeretur Pontificem & alios quotquot aderant, vt scribit B. Theodoretus in Relig. histor. sect. 13. vbi eius miracula & vitæ asperitatem recenset.

Immo non rarò cõtingit, vt serui Dei (quod tamen nobis sine Superiorum approbatione faciendum non est, quia id vetatur Regul. 11. Summ.) datâ operâ ex peculiari diuino instinctu, quædam exteriùs præferant, quæ tamen in se considerata, verè vitia non sunt, plerumque tamen in imperfectis cerni solent, vt ita pro imperfectis habeantur, & magna Dei dona in se celent studio humilitatis. Talis erat admirabilis ille S. Salo, à quo tot res ridiculas hoc sine gestas esse scimus, multis tamen miraculis comprobata eius sanctimoniam diuinitus nouimus.

102. Talis erat S. Philippus Nerius, qui vti audiui in concione publica, quam in eius Annuario habuit Cardinalis Baronius huius Sancti Confessarius, stimulabat iracundiam & signa exardescenti animi quandoque prodebat, vt pro iracundo haberetur. Ideoque idem Sanctus vitæ, sæpe suis illud inculcabat: Qui vult inter vos sapiens esse, stultus fiat. Noui & ego in Societate aliquos, qui vt magnam opinionem in qua apud alios erant, eorum ex animis euellerent, nec pro Sanctis, (vti habebantur) haberentur, quædam faciebant, verè in se non mala, tamen à malignis condemnari solita: vt sunt conuersatio iucundior, risus facilis, longior ad mensam accubitus, & his similia.

103. Abbas Agathon moriturus dixit fratribus ser. 2. apud S. Dorotheum: Longè aliud est, iudicium Dei atque hominum, quæ etiam verba P. Io. Piscator noster morti proximus dixit. Ideo ne feramus malum de vilo ex exterioribus rebus iudicium.

## CAPVT OCTAVVM.

## Septima causa vitandorum temerarium iudiciorum est

104. **Q**Via plura in nobis mala videmus, saltem videre deberemus, quàm in aliis, ideo nos potius quàm alios condemnare deberemus. Hanc ipsam causam Christus adfert Mat. 7. & Luc. 6. ad vitanda iudicia. Quid, inquit, vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides: aut quomodo dicis fratri tuo, sine, ecce festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo? Hypocrita, eice primò trabem de oculo tuo, & tunc videbis eicere festucam de oculo fratris tui. Comparauit, inquit S. Dorotheus serm. 6. proximi peccatum festuce, iudicium verò trabi, vsque adeò graue & insuauè est proximum iudicare, vt serè omne peccatum excedat.

Sanè ita est, plura de nobis ipsis reprehensione digna scimus, & quidem certam non sic de aliis: quare si defectuum nostrorum seueri esse mus censores, alienis non attenderemus. Nam vt rectè ait S. Gregorius Papa lib. 5. moral. c. 30. Considera in infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Sed contrarium euenit. Vagare enim oculum, inquit S. Chrysologus serm. 139. Sna casu ad crimina, ad aliena errata perlucet malorum suorum nocentius, alienorum est accusator & testis. Aspiciamus ergo nos, & priùs mala nostra eiciamus quod dum fecerimus, & omnino sine vilo defectu fuerimus, tunc incurtere licebit in nauos alienos, sed quia nos ipsi sine his nunquam erimus, ideo ab alienis taxandis absteineamus. Hoc est quod monet S. Bonauentura in Reg. Nouitiorum cap. 12. Quando vides defectum fratris, antequam iudices, vide an in te sit simile quid vel aquivalens, & eo relicto, se condemna vt malum. Quam ad rem facit monitum S. Ioannis Chryostomi lib. 45. ad pop. Constitue super conscientia iudicantem rationem, & in medium omnia tibi patrata proponit: anima tua peccata scrutare, & penas exige diligenter. Et dic. Cur hoc & hoc ausa es? Et, si has quidem fugiat, aliena verò discutias, dic ad eam: Non de his te iudico, non pro his venisti te purgatura. Quid enim si ille malus? Quare tu hoc & hoc admisisisti? Respondet: Noli accusare: tua consideres non aliena.

## CAPVT NONVM.

## Octaua causa fugiendorum iudiciorum temerarium est

105. **Q**Via iudicare alios & de aliis, ad Deum tantùm eiusque Vicarios spectat: ideo Apostolus, cum ad Rom. 14. v. 3. dixisset: Is qui manducas (scilicet gentilis conuersus), manducans cibos Iudæis per Moysen veritos, quod Iudæos etiam conuersos offendeat, nondum plant